


REVERENDISSIMO, ET IL-
LUSTRISSIMO PRINCIPI, AC DOMI-
NO, DN. HENRICO IVLIO EPISCOPO HALBER-
stadensi, Duci Brunsvicensi, & Lunæburgensi, Domi-
no suo clementissimo

S. PL.



Ecce, opinor, fecero, si faciam quod villici solent. Hi namque cum omnia se debere dominis intelligant, quoties in urbem comitant, non semper aut tritici modios, aut vini, oleæve dolia advehunt, sed aut elegantia poma, aut vvas lectissimas, aut aliquot cinaras, aut in ipsa maturitate melonem, aut minimum quiddam aliud secum ferunt, quo eorum quisq; herum delectari meminit. Ad eundem modum, si quid in hoc meo musico fundo maturuisset fructuum, id R^{mx}. & Ill^{mx} C. T. proprium professus, omne mitterem: quemadmodum in hunc diem à me sedulo factum fuit: neq; non audeo in posterum maiora quædam, & perfectiora promittere: nec quiescam, donec fidem meam liberâro. In præsentia fero cantio-

nes



2
nes duum vocum, initio à me factas, vt chori Musici tyrones in ijs exerce-
rentur: quæ cum essent modulatu difficillima, tum canentium artem, vel
inertiam facillimè proderent, atque ita diligentiam eorum acuerent, & so-
lertiam augerent. De earum editione in mentem mihi non venerat: quam
tamen concessi typographo, impulsus artis peritiorum monitu, & flagita-
tione. Apparent igitur pauca meæ duum cantiunculæ, sub Illustrissimo
R^{ma}, & Ill^{ma} C. T. nomine, cui non ipse solum me, mea q; debeo, sed ferè
vni principum Germaniæ sese debet Musica. Nec est enim, quod citra in-
uidiam dixerim, qui aut de arte ipsa rectius censuram agere possit, aut eam
liberalius habeat, quàm R^{ma}, & Ill^{ma} C. T. quæ cum alijs optimis disciplinis,
tum hac etiam ipsa à puero diligenter erudita fuit. Quod autem ipsa vltro
facit, peto vt eius patrociniū in perpetuum gerat, & hanc regibus quoque
dignam artem cum laude, gloria q; summa sua transmittat ad posteros.

R^{ma}, & Ill^{ma} C. T.

Obsequentissimus,

Thomas Mancinus.

A 2

Nasce